¶ Bulla de beneficijs affectis.

Paulus Epiſcopus ſeruus ſeruoꝝ dei ad perpetuā rei memoriā. Ad Romani pontificis prouidentiā ⁊ circumſpectionem prouidam ſpectare dinoſcitur dubia iuris: ex quibus lites graues oriūtur indies ſue declarationis oraculis terminare: put negotioꝝ qualitate ⁊ temporꝝ conditione inſpectis conſpexit in dn̄o ſalubriter expedire. Cum itaqꝫ nonnulli Romani pontifices predeceſſores noſtri per diuerſas eoꝝ conſtitutiones quas ſuo tempore duntaxat durare voluerunt quecūqꝫ beneficia eccleſiaſtica que ſui ⁊ ſancte Romane eccleſie viuentium ⁊ tunc exiſtentium Cardinalium familiares continui cōmenſales obtinebant ⁊ impoſterum obtinerent eoꝝ familiaritate durante: etiam ſi ab ipſa familiaritate per obitum Cardinalium eorundem vel al's receſſiſſent. necnon illa que etiam fructuum ⁊ prouen̄ camere apoſtolice debitoꝝ collectores. ⁊ qui ipſoꝝ predeceſſoꝝ temporibus ſua officia exercerent vniti ſubcollectores durantibus eorum officijs obtinebāt. ac in quibus vacauerint cum irritantis appoſitione decreti. ⁊ deinde predeceſſoribus ipſis ſublatis de medio ac eorum beneficioꝝ occurrentibus vacationibus inter vtriuſqꝫ iuris interpretes etiam officiales Romane curie ſepenumero heſitatum extiterit an beneficia hm̄oi propter reſeruationem ⁊ decretum predicta reſeruata vel affecta remanſerint ita ꝙ nullus preter Romanum pontificem de illis diſponere potuerit ſiue poſſit reſeruatione ⁊ decreto obſiſtentibus ſupradictis. At propter ambiguitatem hm̄oi varias quoqꝫ iuriſperitorum opiniones ⁊ diſceptationes ipſas aduerteremus plerūqꝫ pro reſeruatione ⁊ affectione premiſſis interdum vero econtra pronunciatum ⁊ diffinitum fore. Nos qui vigilis more paſtoris ſemper his maturo prouidendum eſſe conſilio non indigne conſumimus. ⁊ ꝓpterea in ſingulis cauſis ſuper quibuſuis beneficijs eccl'iaſticis eandem ambiguitatē quomōlibet ꝯcernentibus vſqꝫ ad noſtꝝ beneplacitū ſuperſedere mandauimus cupientes quemadmodū noſtro incūbit officio dubijs hm̄oi fi-

nem imponere ſubditoꝝ diſpendijs ⁊ ne lites fiant penitus im-
mortales de oportuno remedio prouidere· Felicis recordatio
nis Vrbani·v·Gregorij·ix·⁊ Bonifacij·viij·Romanoꝝ ponti
ficum etiã predeceſſoꝝ noſtroꝝ qui ad ſubmouẽda altercatio-
num fomenta ⁊ ambiguitates hmõi lucidãdas declarationes
ſimiles per ſuas lr̃as ediderunt veſtigijs inherẽdo ac prouide
conſiderantes effectũ per reſeruationẽ manuſqȝ appoſitionem
eorundem predeceſſoꝝ in dicis beneficijs in eſſe productũ per
obitum ipſoꝝ nequaqȝ cenſeri debere reuocatã· Romani quo
qȝ pontificis manus appoſitionẽ predictã tante efficacie tante
qȝ virtutis exiſtere vt ſi ⁊ littere aplice ſup prouiſionibus bene
ficioꝝ aut de ꝓuidendo mãdatis in quibus decretũ ⁊ reſerua-
tio hmõi opponitur ex aliqua cauſa ſuũ debitum nõ ſortiantur
effectum facultatẽ tñ prouidẽdi de beneficijs taliter reſeruatꝭ
quibuſcũqȝ alijs fuiſſe adeptam huius ꝑpetue ⁊ irrefragabilis
conſtitutionis edicto de venerabilium fratrum noſtroꝝ ſancte
Romane eccleſie Cardinaliũ conſilio omnia ⁊ ſingula bene-
ficia eccliaſtica ſecularia ⁊ cuiuſuis ordinis regularia; etiam ſi
prepoſitatus. canonicatus prepoſiture ⁊ prebeñ· dignitates ꝑ
ſonatus· adminiſtrationes vel officia fuerint ⁊ ad illa conſue-
uerint qui per electionem aſſumi eiſqȝ cura imineat animarum
vt premittit̃ reſeruata ⁊ per Romanos pontifices ſucceſſores
noſtros canonice intrantes impoſteꝝ reſeruanda actu quouis
modo vacantia ⁊ inantea vacatura per hmõi reſeruationez ⁊
decretum remanſiſſe ⁊ remanere ſemper affecta· nullumqȝ de
illis cum primũ vacare contigerit preter eundem Romanum
pontificẽ ea vice quouiſmodo diſponere potuiſſe ſiue poſſe ha
rum ſerie decernimus pariter ⁊ declaramus ꝙ tã in pendẽtibꝰ
etiã per appellationẽ qȝ in futurũ ſuper eiſdẽ beneficijs vt pre-
mittitur reſeruatis ꝯmittẽdis cauſis per dilectos filios mgr̃os
capellanos noſtros cauſaꝝ palatij aplici auditores atqȝ alios
quoſcũqȝ delegatos ⁊ iudices vbilibet inuiolabiliter obſerua-
ri ⁊ ſm premiſſa nec aliter ſniari ⁊ diffiniri volumus atqȝ man
damus eis ⁊ eoꝝ cuilibet quauis alia ſup ꝑmiſſis interpretan

di facultate ſublata decernentes exnunc irritũ ⁊ inane ſi ſecus· ſuper his a quoq̃ quauis auctẽ ſcienter vel ignoranter conti· gerit attemptari· Nulli ergo omnino hoim̃ liceat hanc paginã noſtre cõſtitutionis declarationis voluntatis mandati ⁊ decre ti infringere vel ei auſu temerario cõtraire· Si quis aũt hoc at temptare preſumpſerit indignationẽ omnipotentis dei ⁊ beato rum Petri ⁊ Pauli aplõꝝ eius ſe nouerit incurſuꝝ· Datum Rome apud ſctm̃ Marcum. Anno incarnationis dñice Mil leſimo quadringenteſimo ſexageſimo·ſeptimo kl· Septembris Pontificatus noſtri Anno Tertio·

¶ Joannis pape·xxij·conſtitutio·

Execrabilis quorundam tam religioſoꝝ q̃ ſecularium am bitio que ſemper plus ambiens eo magis fit inſatiabilis quo ſibi amplius indulgetur ⁊ improbitas importuna peten· tium a nobis ⁊ predeceſſoribus noſtris Romanis pontificibꝰ non tam obtinuiſſe q̃ extorſiſſe plerumq̃ noſcunt· ⁊ vnus in terdum qui ad vnũ beneficiũ eccleſiaſticum minus idoneus in diuerſis eccleſijs nedũ vicinis ſed ab inuicẽ longe diſtantibus imo nonnunq̃ in diuerſoꝝ regnoꝝ ꝑtibus ſituatas plures q̃ duas vel tres aut plures dignitates perſonatus officia ſeu prio ratus aut diuerſa eccl'iaſtica beneficia curam animaꝝ haben· tia poſſit diſpenſatiue cum al's non liceret de iure cõi recipere ac ſimul licite retinere vnde inter cetera inconueniẽtia ſubſcri· pta ſequuntur ꝙ vnus interdum qui vnicum q̃uis modicum officium vix implere ſufficeret plurimoꝝ ſibi vendicat ſtipẽdia que multis viris litteratꝭ vite puritate ⁊ teſtimonio bone fame pollentibus qui mendicant poſſunt abunde ſufficere equa di· ſtributione collata ⁊ habentibus ipſa paratur vagãdi materia diuinus cultus minuitur· hoſpitalitas in ipſis beneficijs debi· te non ſeruatur dummodo non ſunt ſui in vnaquaq̃ regione rectores· eccleſiarũ detrahitur commodis ⁊ honoribus que carentes defenſoris auxilio in iuribus ſuis ⁊ libertatibus mul tipliciter collabuntur ruinis· patent edificia nobiliaq̃ magni· ficentia extruxerat deceſſorum· ⁊ q̃ď amarius eſt dolendum

animarum cura negligitur: ⁊ vitioꝝ ſenſibus fomentū pericu-
loſe pꝛebetur. Nos itaqꝫ tot malis rātiſqꝫ diſcriminibus occur
rere cupientes omnes ⁊ ſingulas diſpēſationes ſuꝑ receptiōe
⁊ retentione plurium dignitatū officioꝝ pꝛioꝛatuum ac benefi
cioꝛum quibus cura animaꝝ ſit annexa ſub quacunqꝫ foꝛma ⁊
expꝛeſſione verboꝝ a nobis vel dictis pꝛedeceſſoꝛibus noſtris
cuicūqꝫ perſone ꝯceſſas. Cardinalibus tñ ſancte Romane ec-
cleſie qui circa nos vniuerſali eccleſie ſeruiendo ſingularū ec
cleſiaꝝ cōmoditatibus ſe impendunt. ac Regum filijs qui pro
pter ſublimitatem eoꝝ ac generis claritatē ſunt potioꝛes pꝛero
gatiua ⁊ gratia attollēdi dūtaxat exceptis de liberatione ſuper
hoc cum fratribus noſtris habita diligenti de ipſoꝝ conſilio ⁊
ex certa noſtra ſciētia in foꝛma ſubſcripta duximus taliter mo-
derandas ꝙ per moderationē noſtrā effrenatam circa eaſdem
perſonas taliū beneficioꝝ multitudinē refrenemus ipſiqꝫ impe
trantes fructus diſpenſationis hmōi totaliter non fruſtrentur.
Statuimus itaqꝫ ⁊ de fratrum noſtroꝝ conſilio oꝛdinamus ꝙ
obtinentes nunc ex diſpenſatione ltima pluralitatē hmōi digni
tatum perſonatuum officioꝝ aut pꝛioꝛatuū ſeu beneficioꝝ que
al's abſqꝫ diſpenſatione obtinere nequibāt vnum tm̄ ex dignita
tibus perſonatibus officijs pꝛioꝛatibus eccleſijs vel beneficijs
hmōi quibus cura imineat animarum cum dignitate ꝑſonatu
pꝛioꝛatu eccleſia vel beneficio ſine cura que haberi maluerint
pꝛetextu diſpenſationis ſufficientis circa id eiſdem indulget po
ſſit licite obtinere que tñ teneantur eligere infra menſem nume
randum a tpe hmōi noſtre ꝯſtitutionis ceteris beneficijs cum
cura vel ſine cura que ipſius diſpenſationis pꝛetextu tenebant
⁊ que aliter non poterant de iure abſqꝫ diſpenſatione licite re-
tinere que nos extunc vacare decernimus coram oꝛdinarijs
ſub teſtimonio publico infra idem tempus verbaliter ⁊ realiter
cum effectu dimiſſis abſqꝫ eo ꝙ ad illa ſine noua collatione ab
eo qui facere poterit facienda nunqꝫ redire aut eoꝛum admini
ſtrationibus ſe immiſcere pꝛeſumant. alioquin tam his q̄ alijs
omnibus beneficijs que virtute huiuſmodi noſtre moderatio-

nis retinere poterant vt prefertur ſint ipſo iure priuati ꝛ pro-
ſus inabiles ad hmõi beneficia obtinenda. per hoc aũt his qui
dignitates pſonatus officia / aut alia beneficia curam animarũ
habentia ex diſpẽſatione que ius tribuat iuxta noſtrã modera-
tionem preſcriptã obtinent; ꝛ alia ſimilia beneficia noſtraꝝ vel
eorundẽ predeceſſoꝝ noſtrorum aucte litteraꝝ expectant; cuꝫ
quibus eſt. vt illa vacauerint irripere ꝛ vna cuꝫ obtentis licite
valeant retinere. diſpenſatione volumus derogare; quin ea cũ
vacabunt infra dicti temporis ſpacium poſſint eligere; ꝛ dimi-
ſſis alijs recipere informa preſcripta; ac licite retinere; penas ſi-
miles incurſuri qui huic noſtre cõtraire preſumpſerint ſanctio
ni. Porro quia quorundam oculos ſic auare cupiditatis vi-
tium excecauit; ꝙ plura alia ſimul abſqꝫ diſpenſatione canoni-
ca retinere preſumunt. nos de illis preſenti decreto ſtatuimus
vt oĩa ꝛ ſingula beneficia ſic detenta illo tm̃ retento qđ vltio
receperint; dũmodo in eo ex collatione canonica cõpetat ius
eiſdem infra tempus vt preſcribiť limitatũ verbo facto ac ſine
fraude corã ordinario ſub teſtimonio ſimilr̃ publico dimittere
teneanť. qđ ſi non fecerint etiã illo ſint iure priuati; in quo ius
eis al's competebat; ꝛ inabiles penitus ad oĩa beneficia obtinẽ
da eccleſiaſtica cenſeãť. Qui vero deinceps receperit dignita
tem pſonatum ſeu officiũ aut aliud beneficiũ curam habẽs ani
m arũ annexã ſi ante ſimile beneficiũ obtinebãt. illud quoqꝫ ip-
ſo iure poſtqꝫ ſecundi poſſeſſionẽ habuerint. vl' p eos omni do
lo ꝛ fraude ceſſantibus quo minus habeant ſteterint. priuati
noſcanť. abſqꝫ more diſpendio in ordinarioꝝ manibus dimitte
re debeant pari modo. alioquin exnunc ſint ipſo iure priuati. ꝛ
nedum ad ſacros ſuſcipiendos ordines quinetiã ad habendũ
quodcũqꝫ aliud eccliaſticũ beneficiũ inabiles reputentur. que
oĩa ꝛ ſingula beneficia vacatura vt premittiť ꝛ dimiſſa noſtre
ꝛ ſedis aplice diſpoſitioni ꝛ ipſoꝝ fratrũ ꝯſilio reſeruamus. In
hibẽtes ne quis preter Romanũ pontificẽ quacũqꝫ ſit ſup hoc
aucte munitus de hmõi beneficijs diſponere vel circa illa per
viã pmutationis vel al's innouare quoquomõ preſumant. nos

enim ſiſecus actũ ſeu attemptatũ fuerit irritũ decernimus ⁊ in
ane. Ceterũ ordinarios intelligimus in caſibus ſupraſcriptis
epos. in quoꝝ ciuitatibus ⁊ dioceſibus conſiſtũt beneficia: ſeu
aliquod eoꝝ quo debent ſm pmiſſa dimitti: aut ipſi qui debẽt
ea dimittere ꝯmorant: vel eccleſijs cathedralibus vacantibus
capitula earundem: ⁊ hi de beneficijs tã dimiſſis ꝙ vt premit
titur pditis nos vel aplicam ſedem certificare ſtudeant ꝙ pri-
mum cõmode poterunt indilate vt de illis ſalubriter diſpone-
re valeamus. Quantũ autem ad modificationẽ attinet ante fa
ctum illa dũtaxat ⁊ nõ alia beneficia eccliaſtica quocunqꝫ no-
mine nuncupẽtur curã habere cenſemus que ꝑochias habẽt
in quibus eſt animaꝝ cura non per vicarios ꝑpetuos ſed per
rectores aut miſtros bñficioꝝ ipſoꝝ vel illoꝝ tpales vicarios
exercẽda necnõ illa quoꝝ miniſtris rõe beneficioꝝ hmõi com-
petit viſitare: inquirere: ꝓcuratores recipere: ſuſpendere: excõ
municare: ſeu ab excõis ⁊ ſuſpenſionis ſnĩa abſoluere de con-
ſuetudine vel de iure iuribus alijs de animaꝝ cura loquentibꝰ
in ſuo robore quo ad cetera pmanſuris. Nulli ergo ⁊c. noſtre
moderationis: ſtatuti ꝯſtitutionis: reſeruatiõis: inhibitionis ⁊
volũtatis ⁊c. Datũ Auinione. xiij. kl. Anno ſecundo.

¶ Benedicti pape. xij. reſeruatio ad regimen.

Benedictus Eps ſeruus ſeruoꝝ dei Ad futuram rei me-
moriam. Ad regimen ecclie generalis quanqꝫ imeriti ſu
perna diſpoſitione vocati gerimus in noſtris deſiderijs vt de-
bemus ꝙ per noſtre diligentie ſtudium ad quarũlibet eccliaꝝ
⁊ monaſterioꝝ regimina ⁊ alia beneficia eccleſiaſtica iuxta di
uinum beneplacitum ⁊ noſtre intentionis affectum viri aſſu-
mantur idonei qui preſunt ⁊ proſint ꝯmittendis eis ecclis mo
naſterijs ⁊ beneficijs ꝑlibatis. Premiſſoꝝ nãqꝫ conſideratiõe
inducti ⁊ ſuadẽtibus nobis alijs rõnalibus cauſis nonnulloꝝ
predeceſſoꝝ noſtroꝝ Romanoꝝ pontificum veſtigijs inheren
tes omnes patriarchales: archiepiſcopales ⁊ epiſcopales ec-
cleſias ⁊ etiam monaſteria: prioratus: dignitates: perſonatus
⁊ officia: necnon canonicatus ⁊ prebendas ⁊ eccleſias: cete-

raq3 beneficia eccleſiaſtica cū cura vel ſine cura ſecularia ꝛ re
gularia quecunq3 ꝛ qualiacunq3 fuerint: etiam ſi ad illa perſo
ne conſueuerint ſeu debuerint per electionē ſeu quēuis alium
modum aſſumi nūc apud ſedem aplicam quocūq3 modo vacā
tia ꝛ impoſteꝝ vacatura. necnon per depoſitionē vel priuatio
nem ſeu tranſlationē aut muneris cōſecrationis impenſionem
per fe. re. Joannē papam. xxij. predeceſſorē nr̄m ſeu eius auc̄te
factas ꝛ per nos ſeu auc̄te nr̄a inantea faciendas vbilibet. nec
nō a die forſan tp̄e iam p̄deceſſoris nr̄i aliqui in ↄcordia vel di
ſcordia electi vel poſtulati fuerint quoꝝ electio caſſata ſeu po-
ſtulatio repulſa vel per eos facta renūciatio ꝛ admiſſa per ip̄m
predeceſſorē vel auc̄te ipſius extiterint: ſeu quoꝝ electoꝝ vel
poſtulatoꝝ ꝛ inantea eligendoꝝ ac renunciantiu3 electionem
caſſari vel poſtulationem repelli aut renunciationem admitti
per nos vel auc̄te noſtra cōtingeret apud ſedem predictā vel
alibi vbicunq3: ac etiam per obitū cardinalium eiuſde3 eccleſie
Romane ac officialiū dicte ſedis: videlicet Camerarij: Vice-
cancellarij. notarioꝝ: auditoꝝ: lr̄arum cōtradictaꝝ ꝛ aplici pa
latij cauſaꝝ audiioꝝ: correctoru3 ꝛ ſcriptoꝝ lr̄aꝝ aplicarum ac
penitentiarie prefate ſedis ꝛ abbreuiatoꝝ necnon cōmenſaliū
ꝛ alioꝝ quorumlibet capellanoꝝ ſedis eiuſdem ꝛ etiam quo-
rumcunq3 legatoꝝ ſiue nuncioꝝ ac in terris eccleſie Romane
rectoꝝ ꝛ theſaurarioꝝ per dictum Joannē predeceſſorē vel
nos ſpecialiter deputatoꝝ ſeu miſſoru3 hactenus vel a nobis
deputandoꝝ aut mittendoꝝ impoſterum nunc vacantia ꝛ in-
antea vacatura vbicunq3 dictos legatos vel nūcios ſeu recto
res aut theſaurarios anteq3 ad Romanam curiam redierint
ſeu venerint rebus eximi contigerit ab humanis. necnon quo-
rumlibet pro quibuſcunq3 negotijs ad Romanam curiam re-
dierint ſeu venerint rebus eximi venientium ſeu etiam recedē
tium ab eadem ſi in locis a dicta curia vltra duas dietas lega
les non diſtantibus iam forſan obierint vel eos inantea tranſi
ire contigerit de hac luce. ac etiam ſimili modo quorumcunq3
curialiū peregrinationis: infirmitatis: aut recreationis ſeu alia

quacunq; cauſa ad queuis loca ſecedentiū ſi eos anteq̄ ad di
ctam curiā redierint in locis vltra duas dietas ab eadem curia
vt premittitur non remotis: dūmodo eoꝝ proprium domiciliū
non exiſtat ibidem iam forſitan deceſſerint vel imposterū eos
contigerit de medio ſubmoueri nunc per obitum hmōi vacan
tia ⁊ imposterum vacatura: rurſus monaſteria: prioratus: deca
natus: dignitates: perſonatus: adminiſtrationes: officia: cano-
nicatus: prebendas: ⁊ eccleſias: ceteraq; beneficia eccleſiaſti-
ca ſecularia ⁊ regularia cū cura vel ſine cura quecunq; ac qua
liacunq; fuerint etiam ſi ad illa perſone conſueuerint ⁊ debue-
rint per electionē aut quēuis alium modum aſſumi qui ꝓmoti
per dictū predeceſſorē vel eius auc̄te ad patriarchaliū ⁊ Ep̄a
lium eccleſiaꝝ: necnō monaſterioꝝ regimina obtinebant tēpo
re ꝓmotionum de ipſis factarū nunc vacantia: ⁊ qui per nos
ſeu auc̄te nr̄a imposteꝝ ad eadem regimina ꝓmouēdi tp̄e pro
motionis hmōi obtinebūt: necnō etiā qui per aſſecutionem pa
cificam quorumcūq; prioratuū: dignitatum: perſonatuū: officio
rum: canonicatuum ⁊ prebendaꝝ eccleſiarum ⁊ beneficiorum
aliorum per eos vel eundem Joannem predeceſſorem ſeu au
ctoritate lr̄arum noſtrarum vel ipſius Joannis predeceſſoris
collatorum ⁊ coeferendoꝝ imposterum nunc vacantia ⁊ inan
tea vacatura plena ſuper premiſſis oībus ⁊ ſingulis cum fra-
tribus noſtris collatione prehabita ⁊ matura deliberatione ſe
cuta ordinationi: diſpoſitioni ⁊ ꝓuiſioni noſtre donec miſera-
tionis diuine clementia nos vniuerſalis eccl̄ie regimini preſi-
dere conceſſerit de ipſorum fratrū cōſilio auc̄te ap̄lica reſerua
mus: decernentes exnunc irritum ⁊ inane ſi ſecus ſuper pre-
miſſis ⁊ quolibet eoꝝ per quaſcunq; quauis auctoritate ſcien
ter vel ignoranter contigerit attemptari non obſtantibus qui
buſcunq; conſtitutionibus a predeceſſoribus noſtris Roma-
nis pontificibus editꝭ quatenus obſiſtere poſſent ſuperenarra
tis articulis vel alicui ſeu aliquibus eorūdem. Nulli ergo om
nino hominum liceat hanc paginam noſtre reſeruationis ⁊
Conſtitutionis infringere vel ei auſu temerario contraire.

Si qs aũt hoc attemptare ꝑſumpſerit indignationẽ oīpotentꝭ dei ⁊ btõꝝ Petri ⁊ pauli aplõꝝ eius ſe nouerit incurſuꝝ. Datũ Auinione. iij. idus Jañ. pont. nr̃i. ãno. M.ccc.xxv.

¶ Bulla contra Symoniacos.

PAulus Epũs ſeruus ſeruoꝝ dei Ad perpetuam rei memoriam. Cũ deteſtabile ſcelus ſymoniace prauitatis tam diuinarum ꝙ̃ ſacroꝝ canonum auctas abhorreat atqꝫ damnet. Nos conſiderãtes qḋ plures penarum grauitas ꝙ̃ dei timor arcere ſolet a voluntate peccandi ac ſummis deſiderijs affectãtes vt hoc peſtiferum vitium nõ ex vſu ſed etiam ex mentibus hominũ ſaltem ꝓpter penarum metum penitus euellat᷑ predeceſſorum noſtroꝝ Romanoꝝ pontificum veſtigijs inherentes ac etiam oẽs ⁊ ſingulas excõis ſuſpenſioñ priuatioñ interdicti ſñias cenſuras ⁊ penas dudum a Romanis pontificibus predictis ⁊ pro talibus reputatis contra ſymoniacos quõlibet latas ⁊ illos quas cuiuſcũqꝫ ſtatus gradus ordinis ↄditionis vl' preeminentie fuerit. etiam ſi Cardinales patriarchali epiſcopali regali reginali vel alia quauis eccleſiaſtica ſeu mundana dignitatibus prefulgeant ⁊ eoruꝫ quemlibet tam manifeſtum ꝙ̃ occultum ipſo facto incurrere volumus. confirmantes ⁊ innouantes apoſtolica auctoritate declaramus ꝙ omnes illi qui ſymoniace ordinati fuerint a ſuorum ſint ordinum executione ſuſpenſi. per electiones vero poſtulationes confirmationes ꝓuiſiones ſeu quaſuis alias diſpoſitiones que ſymoniaca contigerit labe fieri ⁊ que iuribus omnino careant in eccleſijs monaſterijs dignitatibus ꝑſonatibus officijs eccleſiaſticis ⁊ quibuſuis beneficijs aut aliquo eoꝝ cuiqꝫ ius nullatenus acquira ratur; nec inde faciat aliquis fructus ſuos ſed ad illoꝝ omniũ que ꝑcepit reſtitutionem ſub anime ſue periculo ſit aſtrictus. Statueñ preterea ꝙ vniuerſi ⁊ ſinguli etiam premiſſis dignitatibus prediti qui quomõlibet dando vel recipiendo ſymoniam cõmiſerint aut ꝙ illa fiet mediatores ſteterint ſeu procurauerint ſententiam excõis incurrant. a qua niſi a Romano pontifice pro tempore exiſtente non poſſint abſolui preterqꝫ in mortꝭ

articulo conſtituti· vt hmõi labis contagio frequentius repri-
matur omnibus ⁊ ſingulis eccleſiaſticis ſecularibuſq; ꝑſonis
cuiuſcunq; dignitatis ſtatus gradus ordinis vel conditionis
fuerint in virtute ſancte obedientie diſtrictius iniungimus vt
eos omnes quos ſymoniam hmõi commiſiſſe vel procuraſſe
aut in ea mediatores eſſe ſciuerint põtifici predicto vel cui idẽ
pontifex duxerit committendum per ſe vel alios reuelare quãto-
tius non omittant· pro reuelatione hmõi ſi etiã complices fue-
rint nõ ſolum veniam a nobis ſed etiam gratiã ꝯſecuturi ſi eoꝝ
iudicio ꝑticipes tanti criminis valeãt coerceri· qđ ſi nõ fecerint
abſolui nõ valeãt donec predicta reuelent ⁊ cõplices hmõi de
creti artius punientur· Nulli ergo omnino hoim liceat hãc pa
ginam noſtre ꝯfirmationis innouationis declarationis ⁊ volũ
tatis infringere vel ei auſu temerario cõtraire· Si quis aũt hoc
attemptare preſumpſerit indignationem oĩpotentis dei ⁊ bea
torum Petri ⁊ Pauli aplõꝝ eius ſe nouerit incurſuꝝ· Datũ
Rome apud ſanctum Petrũ· Anno incarnatiõis dñice Mil-
leſimo quadringenteſimo ſexageſimoquarto· Nono kl· Decẽ
bris· Põtificatus noſtri Anno Primo· Publicata die· xxiiij·
Nouembris· Anno predicto·

## ¶ Bulla de caſibus reſeruatis·

PAulus Eps ſeruus ſeruoꝝ dei· Ad futurã rei memoriam
Et ſi dñici gregis ſaluti ſemper intenti ſingulis cum hu-
militate poſcentibus ea benigne concedere ſtudemus per que
peccatoꝝ mole depoſita ſalus ipſa ſuccedat ⁊ ab hoſtis huma-
ni generis ſeruitute ereptas animas lucrifacimus altiſſimo qui
nobis eas ſub bonitate cõmiſit· Id tamen ꝓpenſiori ſtudio pre
cauendum eſſe cenſemus nec cuiuſuis indulgentie remiſſionis
vel facultatis obtentu xpifideles procliuiores ad illicita impo
ſterum cõmittenda reddant aut facilitas eis peccandi tribuat
incentiuum· Hac itaq; conſideratione habita olim emanauit a
nobis conſtitutio tenoris ſubſequentis videlicet· ¶ Sanctiſſi-
mus in chriſto pater ⁊ dominus noſter dñs Paulus diuina
prouidentia papa ſecundus; qui pridem ſuper plenarijs remi-

ſſionibus que ſemel in vita ⁊ ſemel in mortis articulo conce-
duntur formam ⁊ normam inſtituit ne paſſim ſine exceptione
quorumcunqꝫ criminū procliuiores reddent̄ homines ad pec
candum per regulam in Cancellaria aplica publicatā ſtatuit ⁊
ordinauit ꝙ in quibuſcunqꝫ ꝯceſſionibus ⁊ facultatibus abſol
uendi caſus infraſcripti tanqꝫ ſpeciales ſedi apoſtolice reſerua-
ti ſemper intelligerentur excepti· videlicet: offenſe eccleſiaſtice
libertatis; violationis interdicti ab eadem ſede impoſiti; crimi
num Hereſis; conſpirationis in perſonam aut ſtatum Ro-
mani pontificis ſeu cuiuſuis offenſe inobedientie ſeu rebelliōis
eiuſdem pontificis vel ſedis aplice; preſbytericidij; offenſe per
ſonalis in Epm ſeu alium prelatum; inuaſionis; depredationis
occupationis aut deuaſtationis terrarum Romane ecclie me-
diate vel immediate ſubiectarum; ac etiam inuaſionis Romi-
petarum ſeu quorumcunqꝫ alioꝝ ad Romanā curiam venien
tium; ꝓhibitionis deuolutionis cauſaꝝ ad dictā curiā; delatio
nis armoꝝ ⁊ alioꝝ prohibitoꝝ ad partes infideliū; impoſitioni
bus nouoꝝ onerum realium vel ꝑſonalium eccleſijs vel eccle
ſiaſticis perſonis; ſymonie ſuper ordinibus vel beneficijs aſſe-
quendis in eadem curia vel extra cōtracte; ⁊ generaliter in ca-
ſibus contentis in bulla que conſueuit in die cene domini per
predeceſſores ſuos Romanos pontifices publicari· Conſide
rans qḋ plerumqꝫ contingit ſuam Sanctitatem huiuſmodi fa-
cultates ⁊ confeſſionalia tam preſentibus qꝫ abſentibus etiam
oraculo viue vocis concedere; ne pretextu conceſſionis huiuſ
modi vel penitentes vel confeſſores infraſcriptis caſibus fal-
lantur ⁊ fallant; Statuit decreuit ⁊ ordinauit ſue intentionis
fuiſſe ⁊ eſſe per quaſcunqꝫ conceſſiones ⁊ facultates per ſuam
Sanctitatem tam ſcripto qꝫ verbo factas ⁊ impoſterum facien
das nemini licere irretitos a dictis caſibus abſoluere ſine ſpe-
ciali ſue Sanctitatis licentia· Quinimmo conceſſiones ⁊ indul
ta predicta quo ad caſus exceptos huiuſmodi nulli penitus ſu
ffragari· Et autem ipſa conſtitutio que dudum ſcilicet quinto
kaleñ· Aprilis Anni incarnationis domini noſtri Jeſu Chriſti

milleſimi quadringenteſimi ſexageſimiſexti. Pontificatus no
ſtri anno ſecundo publicata fuit eiſdē xpifidelibus plenius in-
noteſcat nulluſqꝫ illius ignorantiā pñdere valeat in futuꝝ pre
ſentibus inſeri fecimus vt ad maiorem oīm ꝑueniat notionem
Nulli ergo omnino hoīm liceat hanc paginam noſtroꝝ ſtatuti
ordinationis ꝛ decreti infringere vel ei auſo temerario contra
ire. Si quis autē hoc attemptare preſumpſerit indignationē om
nipotētis dei ꝛ btōꝝ Petri ꝛ Pauli apl'oꝝ eius ſe nouerit in
curſurū. Datū Rome apud ſctm̄ Petrum. Anno incarnatiōis
dñice Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimooctauo. quin
to nonas Martij. Pontificatus noſtri Anno quinto.

¶ Priuilegium Curialium.

EUgenius Eps ſeruus ſeruoꝝ dei Ad perpetuam rei me
moriam. Diuina in eminentis ſedis aplice ſpeculo diſpo
nente clementia conſtituti ad ea libenter intendimus per que
officiales predicte ſedis obſequijs eius ad quam veluti fideliū
oīm matrem pro animaꝝ ſalute querenda eſt iuſticia proſequē
da de diuerſis mūdi partibus confluit multitudo tutius ꝛ quie
tius ſe promptiores valeāt exhibere. Hinc eſt ꝙ nos ex certis
rationabilibus cauſis moti etiam nonnulloꝝ predeceſſoꝝ no-
ſtrorum veſtigijs inherentes diſtrictius inhibemus locoꝝ ordi
narijs necnon cōmiſſarijs ꝛ delegatis eorum ceteriſqꝫ vniuer
ſis ꝛ ſingulis quacūqꝫ poteſtate ꝛ auctē prefulgeant cuiuſcun
qꝫ dignitatis gradus vel preeminentie fuerint ne contra officia
les prefatos quocunqꝫ nomine nuncupētur in noſtris ꝛ dicte
ſedis obſequijs nūc ꝛ pro tpe exñtes: necnon quoſcunqꝫ alios
pro ſuis ꝛ eoꝝ cauſis vel negotijs proſequendis ad ſedem pre
dictam venientes ac in ea durantes negotioꝝ ꝛ cauſaꝝ hmōi
proſecutiōi moram trahentes ꝛ recedentes ab eadē ꝓcedere
aut in eos excōis ſuſpenſionis vel interdicti aut priuationis of
ficioꝝ aut beneficioꝝ ſeu quāuis aliam ſniam promulgare pre-
ſumant. Nos enim oēs ꝛ ſingulos proceſſus ꝛ ſnias contra te
norem ꝛ mentem noſtre inhibitionis hmōi latas ꝛ habitas ꝛ
imposterum habendas ac etiam promulgandas ꝛ quecunqꝫ in

de ſecuta declaramus nulla irrita ⁊ inania nulliuſqꝫ extitiſſe
vel exiſtere roboris vel momenti necnon quicquid in contra-
rium a quoqꝫ quauis auctē ſcienter vel ignoranter attempta-
tum forſan eſt hactenus vel impoſterū cõtigerit attemptari etiã
decernimus irritū ⁊ inane. ⁊ nihilominus in oẽs ⁊ ſingulos
ordinarios ⁊ officiales ꝯmiſſarios ⁊ delegatos eorum qui ſe
de dignitatibus ac beneficijs eccleſiaſticis quibuſcũqꝫ officia-
lium aut negotia hmõi apud dictã ſedem ꝓſequentium predi
ctorū eos illis forſan priuando atqꝫ priuatos decernendo ſeu
declarando vel cuiuſcunqꝫ priuationis pretextu illa perſonis
alijs conferendo ſeu de illis in eos quõlibet intromittendo in
dantes qꝫ in recipientes excõis ſuſpenſionis ⁊ interdicti latas
ſniãs promulgamus quas volumus eos ipſo facto incurrere
a qua quidem excõis ſniã abſolui nequeant preterqꝫ a nobis
vel per nos deputandos preterqꝫ in mortis articulo conſtitu
ti. Premiſſa aũt a die affixionis preſentiũ ad valuas principis
apl'orū de vrbe ex certa ſciẽtia quoſcunqꝫ ligari volumus ⁊ ar-
tari. non obſtañ aplicis ⁊ in quibuſcunqꝫ gñalibus aut ꝓuincia
libus aut ſynodalibus concilijs editis conſtitutionibus ⁊ ordi
nationibus apoſtolicis priuilegijs etiam ſi de illis eorumqꝫ to
tis tenoribus effectus hmõi habenda eſſet in pñtibus mentio
ſpecialis ⁊ pñtibus volumus hre pro ſufficienter expreſſis ce-
teriſqꝫ ꝯrijs quibuſcunqꝫ. Nulli ergo oĩno hoĩm liceat hãc pa
ginam noſtre inhibitionis: declarationis: conſtitutionis: ⁊ vo
luntatis infringere vel ei auſu temerario cõtraire. Si quis aũt
hoc attemptare preſumpſerit indignationẽ dei ⁊ beatorū Pe-
tri ⁊ Pauli apoſtolorū eius ſe nouerit incurſurum. Datũ Ro
me apud ſanctum Petrum Anno incarnationis dñice Mil-
leſimo quadringenteſimo triceſimoſecundo. viij. idus Martij
Pontificatus noſtri Anno Secundo.

¶ Bulla Martiniana contra mendicantes.

MArtinus Eps ſeruus ſeruorū dei Ad perpetuam rei me
moriam. Viã ambitioſe cupiditatis religioſis potiſſime
mendicantibus ꝓcludere cupientes ad alios ordines ꝑſertim

monaſticos fucatis tñ coloribus aſſerentibus ob frugẽ inclio-
ris vite aut artioris obſeruantie tã ſancti Benedicti q̃ Ciſter
cieñ. Camãduleñ. Vallis vmbroſe. canonicoꝝ regulariũ ſan-
cti Auguſtini vel alioꝝ monachoꝝ ordinũ cõuolare nitentib⁹
licentia a ſede aplica ſeu legatis aut nuntijs eiuſdem ſedis ad
tranſferendũ ſe de mendicantium ordinibus ad alios ordines
preſertim ratione vt veriſimilium prout facti euidentia docet
vt liberiores degant dignitateſq; ⁊ beneficia monaſtica conſe
qui valeant ⁊ ex certis alijs cauſis honeſtati non conſonis ob
tinentibus. ac volẽtes etiam ꝯſeruationi ordinum mendicantiũ
prouidere auc͠te aplica ex certa ſcientia tenore pñtium decla-
ramus ⁊ etiam decernimus ſtatuentes q̄ decetero nullus re
ligioſus ordinum mendicantiũ quorumcunq; cuiuſcunq; gra-
dus ſtatus ꝯditionis vel religiõis exiſtat quantumcũq; ⁊ qua
litercunq; poſſit ⁊ debeat virtute cuiuſcũq; licentie etiã indul-
ti aplici ſeu penitẽtiarie noſtre curam gerentis vel alia quauis
auc͠te hactenus etiã per lr̃as aplicas facultatũ quarũuis tã le-
gatoꝝ q̃ nuntioꝝ ſedis aplice q̃ alia auc͠te maxime de tranſfe
rendis fratribus aut aliquibus preſertim ordinũ mendicantiuꝫ
ꝓfeſſoribus in genere vel in ſpecie ab ordinibus hmõi mendi-
cantiuꝫ ſub quacunq; verboꝝ forma appareant admitti aut re
cipi per aliquos etiam ſupiores ordinis ſeu monaſterij aut loci
monaſtici ſeu al's in monachum vel in fratrẽ alicuius ex ordini
bus monaſticis ſupradictis vel alijs expreſſis: ordine Cartuſi
enſium dũtaxat excepto ſub pena excõis quam tam recipiẽtes
q̃ recepti ipſo facto incurrent ⁊ quam exnũc prout extũc con-
tra quẽlibet tranſgreſſorẽ quõlibet in p̄miſſis ſcientia ⁊ auc͠te
ꝓferimus ante factas in his ſcriptis ⁊ a nemine niſi duntaxat
a Ro. pont. preterq̃ in mortis articulo excõicati hmõi poſſint
abſolutionis beneficium quõlibet obtinere. ⁊ nihilominus ſe-
cus vel aliter facta nõ teneãt ⁊ nullius exiſtãt efficacie vel mo
menti. decernentes etiã ⁊ volentes q̄ ſi hactenus virtute cu-
iuſuis licentie ſe mandati hmõi fuiſſet receptus ad aliquẽ mo
naſticum ordinem ⁊ habitum ꝯſuetum geſtari per monachos

talis ordinis ſuſcepiſſet ſiue profeſſionem emiſerit ſiue non ſub
dicta pena teneat in monaſterio in quo receptus fuerit etiam
ſi beneficia eccliaſtica ſeu rectorias ecclia ꝝ quarũuis obtineat
ſtare in eius totali natione in hmõi ordine monaſtico ⁊ altiſſi-
mo deſeruire. Si quis aũt pretextu hmõi licentie vel ſine habi
tu vel cum habitu vagando incederet monitione preuia tenea
tur ⁊ debeat infra terminũ .xv. dierū de die monitionis hmõi
ↄputandoꝝ ad eius religionem vel ordinẽ vnde cum licentia
vel ſine licentia receſſerat remeare. quod ſi efficere neglexerit
poſt ipſum terminũ tanq̃ notorius apoſtata excõicatus in om
nibus ⁊ per oĩa debeat per quẽlibet reputari ⁊ retractari etiã
per inuocationẽ auxilij brachij ſecularis quotiẽs fuerit oportu
num. in futurũ aũt nullus ex profeſſoribus alicuius ex ordinibꝰ
mendicantiũ hmõi aliquem monaſticũ: ordine Carthuſieñ. dun
taxat excepto poſſit aut debeat per quẽcũq̃ excipi aut admit-
ti virtute alicuius licentie vel indulti abſq̃ ſedis hmõi licentia
ſpeciali ſub dictis penis. ⁊ nihilominus ſecus facta non teneãt
ipſo iure hmõi licentijs ⁊ indultis necnon ↄſtitutionibus apo-
ſtolicis ⁊ mendicantiũ ordinum predictoꝝ etiã ſi de illis ſpeci
alis ⁊ expreſſa ac de verbo ad verbum in noſtris lr̃is mentio
habita foret ⁊ alijs ↄtrarijs non obſtañ quibuſcunq̃. Nulli er
go omnino hominum liceat hanc paginã noſtre declarationis
decreti ſtatuti ꝓhibitionis ⁊ voluntatis ⁊c. Datũ Sebennis
quarto kl. Auguſti. Põtificatus noſtri Anno Primo.

¶ Bulla Paulina de alienatione bonoꝝ eccliaſticoꝝ.

PAulus Epũs ſeruus ſeruoꝝ dei Ad ꝑpetuã rei memoriam
Ambitioſe cupiditati illoꝝ precipue qui diuinis ⁊ huma
nis affectari damnatione poſtpoſita immobilia ⁊ pretioſa mo-
bilia deo dicata ex quibus eccleſie monaſteria ⁊ pia loca regũ
tur illuſtrẽturq̃ ⁊ eoꝝ miniſtri ſibi alimoniã vẽdicãt ꝓphanis
vſibus applicare aut cũ maximo illoꝝ ac diuini cultus detrimẽ
to exquiſitꝫ medijs vſurpare pſumunt occurrere cupiẽtes oĩm
reꝝ ⁊ bonoꝝ eccliaſticoꝝ alienationẽ oẽq̃ pactũ per qḋ ipſoꝝ
dñium ↄceſſionẽ ypothecã locationẽ ⁊ ↄductionẽ plenã frẽnũ

necnon in feudationez vel ꝯtractum emphiteoticū preterq̄ȝ in caſibus a iure permiſſis ac de rebus ⁊ bonis in emphiteoſim ab antiquo concedi ſolitis ⁊ tūc cum eccleſiaꝝ euidenti vtilita te ac de fructibus boniſq̄ȝ ſeruando ſeruari non pn̄t pro inſtan tis temporis exigētia ac ꝑpetuo valitura ꝯſtitutione fieri pre eſt ꝓhibemus predeceſſoꝝ noſtroꝝ ꝯſtitutionibus ꝓhibitioni bus ⁊ decretis alijs ſuꝑ hoc editis que tenore pn̄tium innoua mus in ſuo nihilominus robore ꝑmanſuris. Si quis ꝯtra hui⁹ noſtre ꝓhibitiōis ſeriem de bonis ⁊ rebus eiſdem quicq̄ȝ alie nare p̄ſumpſerit. alienatio. ypotheca. ꝯceſſio. locatio. ꝯductio; ⁊ infeudatio hmōi nullius oīno ſit roboris vel momenti ⁊ tam qui alienat q̄ȝ is qui alienatas res ⁊ bona p̄dicta recepit ſn̄iam excōis incurrat. alienāti vero bona eccliaꝝ monaſterioꝝ loco rumq̄ȝ pioꝝ quoꝝlibet incōſulto Ro. pontifice aut ꝯtra pn̄tis ꝯſtitutionis tenorem ſi pōtificali vel abbatiali p̄fulgeat digni tate ingreſſus eccleſie ſit penitus interdictus. ⁊ ſi per ſex men ſes īmediate ſequentes ſub interdicto hmōi animo q̄d abſit ꝑ ſeuerauerit indurato lapſis menſibus eiſdem a regimine ⁊ ad miniſtratione ſue eccleſie vel monaſterij cui preſidet in ſpiritua libus ⁊ tpalibus ſit eo ipſo ſuſpenſus. Inferiores vero prelati cōmendatarij ⁊ alij eccleſiaꝝ rectores beneficiati vel admini ſtrationem quōlibet obtinentes. prioratibus. prepoſituris. pre poſitatibus. dignitatibus. ꝑſonatibus. adminiſtrationibus. offi cijs. canonicatibus. prebendis. alijſq̄ȝ eccleſiaſticis cum cura ⁊ ſine cura ſecularibus ⁊ regularibus beneficijs quorum res ⁊ bona alienarūt duntaxat ipſo facto priuati exiſtant. illaq̄ȝ abſ q̄ȝ declaratione aliqua vacare cenſeantur poſſintq̄ȝ per locoꝝ ordinarios vel alios ad quos eoꝝ collatio pertinet perſonis idoneis illis exceptis que propterea priuate fuerint libere de iure conferri niſi al's diſpoſitioni apoſtolice ſedis ſint ſpeciali ter aut generalier reſeruata. ⁊ nihilominus alienate res ⁊ bo na hmōi ad eccleſias mōaſteria ⁊ loca pia ad que an̄ alienatio nem hmōi pertinebant libere reuertantur. Nulli ergo omni no hominum liceat hanc paginam noſtre prohibitionis ⁊ inno

uationis infringere vel ei auſu temerario cōtraire. Si quis aūt hoc attemptare preſumpſerit indignationē omnipotentis dei ꝛ btōꝝ Petri ꝛ Pauli apl'oꝝ eius ſe nouerit incurſuꝝ. Datū Rome apud ſctm̄ Marcū anno incarnationis dn̄ice. M.cccc lxvij. kal. Martij. Pontificatus noſtri Anno quarto.

Nicolaus.

AD perpetuam rei memoriam. Ad ſacrā Petri ſedem diuina diſpoſitione ſublimati ſingulisqꝫ pro vniuerſalis eccleſie vnione ac pace ꝛ tranquillitate profutura conſpicimus apoſtolice ꝓuidentie ſollicitudine libenter intēdimus ꝛ felicez illoꝝ proſecutionē ꝛ ꝯſummationem opem ꝛ operam impendimus efficaces. Nuper ſiquidez cariſſimus in xp̄o filius noſter Fredericus Romanoꝝ rex illuſtris ꝛ nonnulli alij dilecti filij eccleſiaſtici ꝛ ſeculares principes inclite nationis Germanice ex vna: ac dilectus filius noſter Joannes ſancti angeli dyaconus Cardinalis in partibus illis aplice ſedis de latere legatus per nos ad dictas partes miſſus ſufficienti deſuper a nobis ꝛ ſede apoſtolica auc̄te ſuffultus ex alia partibus Romane eccleſie ꝛ dicte nationis noībus pro ipſius ecclie vnione ꝛ pace ꝛ tranquillitate inter eccliam ꝛ nationem p̄dictas perpetuo ſolidandis ꝛ cōuerſandis diuerſa rationabilia ꝛ vtilia ordinationes ꝛ ſtatuta a ꝑtibus ipſis hincinde approbata laudata ꝯcluſa accepta ꝛ ꝯcordata fecerunt ac ediderunt nobiſqꝫ humiliter ſupplicari fecerūt vt illis pro firmiori eorum ſubſiſtentia robur apoſtolice firmitatis adijcere necnon auc̄tem potiorem ꝛ decretum interponere dignaremur. Nos itaqꝫ ſtatuta ꝛ ordinationes ꝛ concordata predicta per nōnullos ex venerabilibus fratribus nr̄is ſancte Romane eccleſie Cardinalibus magnorum maturitatis anc̄tatis ꝛ lr̄ature viros diligenter examinari ꝛ diſcuti fecimus eaqꝫ rōnabilia ꝛ ſalubria tam ecclie qꝫ natiōi prefate fore ꝯperimus de dictoꝝ ꝛ alioꝝ venerabiliū fratꝝ noſtroꝝ predicte ecclie cardinaliū ꝯſilio ꝛ aſſenſu ap̄lica auctoritate ꝛ ex certa ſcia apꝓbamus ratificamus laudamus ꝛ acceptamus ꝛ p̄ntis ſcripti patrocinio cōmunimus iuxta modū ꝛ for

mam ſubſequētes. Placet nobis ſupꝰ prouiſione eccliaꝝ ⁊ be-
neficioꝝ eccleſiaſticoꝝ quoꝛumcūqꝫ vt iuri ſcripti reſeruatione
⁊ execrabilis ad regimē cōſtitutione modificatis vt ſequit̄ ad
regimen ecclie gn̄alis quamqꝫ immeriti ſupna diſpoſitione vo
cati gerimus in nr̄is deſiderijs vt debemus ꝙ per nr̄e diligen
tie ſtudiū ed quarūlibet eccliarum ⁊ monaſterioꝝ regimina ci
tra alia bn̄ficia ecclīaſtica iuxta diuinū beneplacitū ⁊ noſtre in-
tentionis affectū viri aſſumant̄ idonei qui preſint ⁊ proſint cō
mittēdis eis ecclīis monaſterijs ⁊ beneficijs ꝑlibatꝫ. Premiſſo
rum itaqꝫ ꝯſideratione inducti ac ſuadētibus nobis alijs rōna
bilibus cauſis nōnulloꝝ ꝑdeceſſoꝝ noſtroꝝ Ro. pon. veſtigijs
inhereñ. oēs pr̄iarchales archiepāles epāles monaſteria prio
ratus dignitates ꝑſonatus ⁊ officia necnō canonicatus ⁊ pre-
bendas ⁊ eccliās cetaqꝫ bn̄ficia ecclīaſtica cū cura vel ſine cu-
ra ſecularia ⁊ regularia queciqꝫ ⁊ qualiacūqꝫ fuerint etiā ſi ad
illa ꝑſone cōſueuerint ſeu debuerint per electionē ſeu quēuis
aliū modū aſſumi nūc apud ſedē aplicam quocūqꝫ mō vacan-
tia ⁊ impoſteꝝ vacatura. necnō per depoſitionē ſeu priuationē
aut tranſlationē per nos ſeu aucte nr̄a factas ⁊ inantea facien-
das vbilibet. necnō ad que aliqui in ꝯcoꝛdia vel diſcoꝛdia ele
cti ſiue poſtulati fuerint quoꝝ electio caſſata ſeu poſtulatio re-
pulſa vel per eos facta renūtiatio ⁊ admiſſa aucte noſtra exti-
terit ſeu quoꝝ electoꝝ vel poſtulatoꝝ ⁊ inantea eligendoꝛum
poſtulandoꝝ electionem caſſari ſeu poſtulationē repelli aut re
nuntiationem admitti per nos aut aucte noſtra cōtinget apud
ſedē predictā vel alibi vbicunqꝫ ⁊ etiā per obitum cardinalium
eiuſdē ecclie Ro. aut officioꝝ dicte ſedis ꝙ̄diu ipſa officia actu
aliter tenebunt: vꝫ vicecācellarij: camerarij: ſeptem notarioꝛuꝫ
auditoꝝ lr̄aꝝ ꝯdictaꝝ ⁊ aplici palatij cauſaꝝ auditoꝝ coꝛrecto
rum, centū ⁊ vnius ſcriptoꝝ lr̄aꝝ aplicarum. ⁊ .xxiiij. penitentia
rie prefate ſedis. ⁊ .xxv. abbꝛeuiatoꝝ. necnon veroꝝ cōmenſa-
lium noſtroꝝ ⁊ alioꝝ .xxiiij. capellanoꝛūqꝫ ſedis eiuſdem in epi
taphio deſcriptoꝝ ⁊ etiam quoꝛumcunqꝫ legatoꝝ ſeu collecto
rum ac in terris Ro. ecclie rectoꝝ ac theſaurarioꝝ deputatoꝝ

ſeu miſſoꝝ hactenus vel deputandoꝝ aut mittendoꝝ impoſte-
rum vacantia ⁊ inantea vacatura vbicūqꝫ dictos legatos vel
collectores ſeu rectores theſaurarios āteqꝫ ad Romanā curiā
redierint ſeu venerint rebus eximi contigerit ab humanis. nec
non quorumlibet pro quibuſcunqꝫ negotijs ad Ro. curiam ve-
nientium ſeu etiam recedentium ab eadē ſi in locis a dicta cu-
ria vltra duas dietas legales non diſtantibus iam forſan obie-
runt vel eos inantea ab hac luce tranſire ꝯtigerit etiam ſimili
modo quorumcūqꝫ curialiū peregrinationis infirmitatꝭ ſeu re-
creationis vel alia quacūqꝫ cauſa ad queuis loca ſecedentium
ſi eos anteqꝫ ad dictā curiā redierint in locꝭ vltra duas dietas
ab eadē curia vt premittitur nō remotꝭ dūmodo eoꝝ proprium
domiciliū nō exiſtat ibidē iam forſan deceſſerint vel impoſteꝝ
eos ꝯtigerit de medio ſubmoueri etiā nūc per obitū hmōi va-
cantibus vel impoſteꝝ vacaturis. rurſus mōſteria. prioratꝰ. di-
gnitates. ꝑſonatus. decanatus. adminiſtrationes. officia. canoni-
catus. prebēd. ⁊ eccleſias. ceteraqꝫ beneficia eccleſiaſtica ſecu-
laria ⁊ regularia cum cura vel ſine cura quecunqꝫ ⁊ qualiacū-
qꝫ fuerint etiam ſi ad illa perſone ꝯſueuerint ſeu debuerint per
electionem ſeu quēuis alium modū aſſumi qui ꝓmoti per nos
ſeu auc͞te noſtra ad pr̄iarchalium archiepālium epālium eccliaꝝ
necnō mōaſterioꝝ regimina obtinebūt tp̄e ꝓmotionis de ipſis
factoꝝ nūc quocūqꝫ mō vacantia aut impoſteꝝ vacatura nec-
nō etiā per aſſecutionē pacificā quorumcūqꝫ prioratuū perſo-
natuum officioꝝ canonicatuum prebēd eccleſiarum aut benefi-
cioꝝ alioꝝ per nos ſeu auc͞te nr̄arum lr̄aꝝ imediate collatorū
ſeu conferendoꝝ impoſteꝝ preterqꝫ ſi virtute grē expectatiue
aſſecutio fiet nunc vacātia ⁊ inantea vacatura plena ſuper pre-
miſſis oībus cum fratribus noſtris collatione ꝑhabita ⁊ matu-
ra deliberatione ſecuta ordinationi diſpoſitiōi ac ꝓuiſioni nr̄e
de ipſoꝝ fratrum cōſilio auc͞te ap̄lica reſeruamus. decernētes
exnunc irritū ⁊ inane ſi ſecus ſup ꝑmiſſis ⁊ quolibet eoꝝ per
quoſcūqꝫ quauis auc͞te ſcienter vel ignorāter ꝯtigerit attemp-
tari. Item placet nobis qꝫ in metropolitanis ⁊ cathedralibus

etiam imediate nō ſubiectis eccleſijs ⁊ in monaſterijs imediate ſubiectis ſedi aplice fiant electiones canonice que ad dictā ſedem deferant quas etiam ad tps conſtitutionis fe. re. Nicolai pape. iiij. que incipit: Cupientes expectabimus ⁊ elapſo dicto tpe ſi non pñtate vel ſi pñtate minus canonice fuerint ꝓuidebimus ⁊ ſi canonice fuerint eas cōfirmabimus niſi ex rationabili ⁊ euidēti cauſa ac de dictoꝝ fratꝝ conſilio de digniori ⁊ vtiliori perſona duximus prouidendū prouiſo ꝙ confirmati predicti ⁊ per nos ꝓuiſi metropolitanis ſuis ⁊ alijs preſtent debita iuramenta ⁊ alia ad que de iure tenentur. etiam in monaſterijs dicte ſedi imediate non ſubiectis ⁊ alijs regularibus beneficijs ſuper quibus pro confirmatione vel ꝓuiſione ad dictam ſedem nō ꝯſueuit haberi recurſus electi ſeu illi quibus ꝓuidendum eſt ꝑ cōfirmatione ⁊ ꝓuiſione hm̄oi ad curiā Ro. venire non tenebunt. ipſaqꝫ regularia beneficia ſub expectatiuis grĩs non cadāt. vbi aūt pro monaſterijs ad dictā curiam venire ſeu mittere ꝯſueuerint non aliter ꝯfirmabimus vel prouidebimus q̄ꝫ ſuperius de cathedralibus eccleſijs eſt expreſſuꝫ. Et de monaſterijs monialium non diſponemus niſi ſint exempta ⁊ tunc per ꝯmiſſionem ad partes. De ceteris vero dignitatibus ⁊ beneficijs quibuſcunqꝫ ſecularibus ⁊ regularibus vacaturis vltra reſeruationes predictas maioribus dignitatibus poſt pontificales in cathedralibus ⁊ principalibus in collegiatis eccleſijs exceptis de quibus iure ordinario ꝓuideatur per illos inferiores ad quos alˢ pertinet. Placet etiam nobis ꝙ per quācunqꝫ aliam reſeruationem gratiam expectatiuam aut quāuis aliam diſpoſitionem ſua quacunqꝫ verboꝝ forma per nos vel auctoritate noſtra factam vel faciendaꝫ non impediemus nos quominus de illis cum vacabunt de Februarij Aprilis Junij Auguſti Octobris ⁊ Decēbris menſibus libere diſponat per illos ad quos eoꝝ collatio ꝓuiſio preſentatio electio ſeu quevis alia diſpoſitio ꝑtinebat reſeruatione alijs premiſſis ac diſpoſitione auc̄te noſtra factis vel faciendis nō obſtantibus quibuſcunqꝫ. Quotiens vero aliquo vacañ beneficio ac Januarij

Martij Maij Julij Septembris ⁊ Nouembris menſibus ſpe
ciali ter diſpoſitioni dicte ſedis reſeruatis nō apparuerint infra
tres menſes a die note vacationis in loco beneficij q̄d alicui
de illo apoſtolica auc̄te ꝓuiſum fuerit exnunc ⁊ non antea or-
dinarius vel alius ad quem illius diſpoſitio pertinebit de illo
libere diſponere poterit. ⁊ ad finem vt hec ordinatio collatio
num beneficioꝝ non reſeruatoꝝ per alternos menſes poſſit p̄
dictam nationem publicari ⁊ omnes qui ea gaudere voluerit
tempus congruū habeant eam acceptandi tunc quo ad dictā
ſedem in kalen̄ Junij proxime futuris ipſa currere incipiat ⁊
durabit deinceps niſi in futuro concilio de conſenſu dicte na
tionis aliter fuerit ordinatum. Placet ſimiliter nobis ꝙ circa
ꝓuiſionē dicte ſedi ordinādam modus ānataꝝ hoc modo cur
rat. De eccleſijs cathedralibus oībus ⁊ monaſterijs virorum
duntaxat vacantibus ⁊ vacaturis ſoluantur de fructibus pri-
mi anni a die vacationis ſumme pecuniarū in libris Camere
apoſtolice taxate que cōia ſeruitia nuncupantur. ⁊ ſi que exce
ſſiue taxate ſint ⁊ ꝙ ꝓuideatur ſpecialiter in grauatis regioni
bus ſcd̄m qualitatē rerū tempoꝝ ⁊ regionum ne nimium pregra
uentur ad q̄d petentibus dabimus ꝯmiſſionem in ꝑtibus qui
diligenter inquirēt ⁊ retaxent. Taxe aūt predicte pro media
parte infra annum a die habite poſſeſſionis pacifice totius vel
maioris partis ſoluant̄ ⁊ pro alia media parte infra annū ſeq̄n
tem. ⁊ ſi infra annū bis vel pluries vacauerit ſemel tm̄ ſoluat̄.
nec debitum hmōi in ſucceſſorē in eccl̄ia vel monaſterio tran-
ſeat. De ceteris vero dignitatibus. ꝑſonatibus. officijs. ⁊ bene
ficijs ſecularibus ac regularibus quibuſcunqꝫ que auc̄te dicte
ſedis conferantur vel de quibus prouidebitur preterqꝫ vigore
gratiaꝝ expectatiuaꝝ aut cā ꝑmutationis ſoluātur annate ſeu
medij fructus iuxta taxā ſolitam a tēpore poſſeſſionis infra an
num. ⁊ debitum hmōi ſimiliter in ſucceſſorē in bn̄ficio nō tran
ſeat. Sed de beneficijs que valorem .xxiiij. florenoꝝ auri de
camera non excedunt nihil ſoluatur. duratqꝫ hec obſeruantia
deinceps niſi eam ſimiliter in futuro concilio de ipſius natio-

nis conſenſu contingat imutari. In alijs aūt que per fe.re. Eu
genium papam. v. etiam predeceſſorem noſtrum pro dicta na
tione vſqꝫ ad tempus futuri generalis concilij permiſſa: conce
ſſa: indulta: ⁊ decreta ac per nos confirmata fuerunt inquan-
tum illa concordie preſenti non obuiant iſta vice nihil volum⁹
eſſe imutatum ⁊ per hoc ꝙ in concordatis hmōi ſine quibuſ-
uis alijs eorum occaſione conficiendis litteris propter compē
ſiorem deſcriptionem Alamania ſpecialiter appellatur natio
ipſa cenſeri non debet a germanica natione diſtincta ſeu quo-
modolibet ſeparata propterea: quia difficile foret preſentes lit
teras ad ſingula in quibus de eis forſitan facienda fuerit loca
differre. eadem apoſtolica auctoritate decernimus ꝙ ipſorum
tranſumptio metropolitanorum dicte nationis ſigillo munito
tanꝗ preſentibus ſi exhiberentur litteris plena fides adhibea
tur ⁊ perinde ſtetur ac ſi dicte preſentes littere forent exhibite
vel oſtenſe. ⁊ inſuper quoqꝫ irritum ⁊ inane ſi ſecus ſuper his
a quoqꝫ quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit
attemptari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginā
noſtre approbationis: ratificationis: laudationis: acceptatio-
nis: cōmunitionis: reſeruationis: conſtitutionis: ⁊ voluntatis:
infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc
attemptare preſumpſerit indignationem omnipotentis dei ⁊
beatorum Petri ⁊ Pauli apoſtolorum eius ſe nouerit incur
ſurum. Datum Rome apud ſanctum Petrum Anno incarna
tionis dominice Milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo
ſeptimo kalen̄. Aprilis. Pontificatus noſtri Anno Secundo.
B. de Callio. Sumptum de regiſtro Camere apoſtolice
collationum per me. S. de Vulterris dicti regiſtri magiſtruꝫ
⁊ concordat.

¶ Bulla contra non ſoluentes annatas.

